



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 124. Concilium Provinciale III. Mediolani celebratum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

stre ob Ecclesiæ negotia Romæ substitit, ubi interea novo Pontifici salutaria admodum monita propinabat, tandem autem in Papæ manibus Magni Pænitentiarii munus Cardinali Aldobrandino collatum, pluraque alia abdicavit officia, quorum sollicitudine illud ipsum tempus tribuere cogebatur, quod tamen integrum populi sui, cujus Pastor erat, curæ impendendum censebat. Præterea Hispaniæ, & Lusitaniæ Regibus utriusque hujus regni, ac Provinciarum præsidium, imo id omne, quod ipsum vel Romæ detinere, aut illuc revocare posset, ultro cedebat: ecquidem hucusque primam suam Aronensem Abbatiam retinuerat, eo fine, ut illam vel ad Ecclesiam Collegiatam eveheret, Romæ tamen adhuc commorans ad dotandum collegium non ita pridem Jesuitis commissum hujus Abbatiae redditus impendendi facultatem obtinuit.

§. CXXIV.

Concilium Provinciale III. Mediolani celebratum.

Borromæus Mense Octobri Roma discessit, atque totam hyemem exequendis statutis jam antea promulgatis, necnon prosequendæ morum emendationi jam antea inchoatæ impendebat, præcipue vero operam suam dicabat re-

*Labbe Col-
lect. Concil.
t. 15. p. 367.
& seq.*

Sæcul. XV.
A. C. 1573.

ligiosis Virginibus, quas ad exactum regulæ suæ studium revocaverat, simulque cuncta pro convocando tertio Provinciali Concilio suo necessaria disponebat; illud enim ad diem vigesimam quartam Aprilis Anni Salutis nostræ millesimi quingentesimi septuagesimi tertii indixerat, idemque eodem tempore re ipsa inchoaverat, ubi plura decreta, ac saluberrimas condidit sanctiones circa festorum sanctificationem, atque erigendas doctrinæ Christianæ Scholas, disciplinam Ecclesiasticam, Sacramentorum, ac præcipue Infantum expositorum Baptismi administrationem: edidit quoque decreta circa Eucharistiam ad infirmos deferendam, celebrationem Divini Officii, Parochorum, Canoniorum, & Religiosarum Virginum munia. Absoluto hoc Concilio, Carolus illius acta per Castellum suum Vicarium Generalem ad summum Pontificem transmisit, eique injunxit, ut Sanctitati suæ exponeret quædam monita admodum utilia, quæ tangerent res private suæ Ecclesiæ Mediolanensis, quam ceterarum regimen, præcipue necessitatem Synodos in omnibus Provinciis celebrandi, nam hæc res tum in pluribus Metropolitanis Ecclesiis negligebatur.

§. CXXV.